

D. Davidi Pareo Johannes Langadius.

Se. No. 1608.

84.

Salutem à Jesu. Si vales, Clarissime Domine Doctor Pareo, gaudeo. Lepius n. Hamburgo fama venit, te jam diem tuum obisse. Faxit Deus, ut tu et Ecclesia bono diu sis superstes. Quod mei in commentariis ad Corinthios mentionem fecisti, pro eo, ac debeo gratias ago maximas. Doctor Philippus Nicolai hostis Reformatione religionis acerrimus, inter tonitrua et fulmina animam exhalavit 26. Octobris hora septima matutina, intra sex horas vivus, sanguis, gloriabundus et mortuus exinctus fuit. Ajunt illi à Jesuitis Lusitanis, qui Hamburgi habitant, venenum propinatum: sed vanam rumorem existimo, sensit enim vindictam Dei. Spero Hamburgenses et Lubecenses nobis deinceps fore equiores, et paulatim propius ad nos accessuros. Refuto nunc postremum Philippi illius Nicolai librum, quem inscripsit Triumphum, scilicet ante victoriam. Qui si prodierit, dabo operam, ut habeas. Vale optime, vir Protestantissime, et Dominos Collegas meo nomine saluta quam officiosissime. Brema - 5. Novembris. 1608.

D. Petro Signeto Theologiae Doctori

D. Pareus. 85

Salutem à Domino Jesu. Miror et doleo te abuti otio et ingenio tuo, ut etiam mihi occupatissimo negotium exhibere molestissimum non verearis. Quod enim, si ad Tua partem respondendum mihi esset, nonne integro volumine opus foret? Non quod sint adeo difficilia refutata, sed quod indigna, quibus pretiosum tempus impendatur. Bene quidem tu, quod commentarium meum perlegisti: postquam vero, quod ad trutinam Thonistica metaphysica Armini tuis omnia sibi examinanda putasti, cum qua quaecumque non congruunt, tu falsa, falsissima pronuncias identidem. Atqui si omnia falsa, quae tu damnasti, indignus profecto commentarius meus, qui lucem viderit. Tibi solum non videtur, quod ex Rom. i. 3. Filium Dei ante

carne fuisse confecti. At vidisti, me ad declarationem
Evangelii provocare, quae huc nos ducit. sed non alia et
alia argumenta deitatis Christi, quae sunt cap. 3. 8. 9. et
vellicanda sumisisti? Tibi Deus Veteris Test. non fuit Pater,
Filius et Spiritus S. ? Atque ergo Deus olim et hodie
Nonne propter Samaritanismum et Sabellianismum vi-
des te in Manichaeismum incidere? utique tu pingas. Bla-
sphemia haec supposita à tuo Arminio, monstruosa Theologia
et Pelagianismi architecto, qui crede mihi, sub pelle val-
pina non diu amplius latebit. Pulchrum tibi videtur omnia
cavillari, quasi hoc sit convellere. Atqui meministi, quod
fidem tu dederis Deo et Ecclesiae et Academiae nostrae, quod
orthodoxam Ecclesiarum nostrarum fidem constanter re-
nere velis, à qua tua ista dis dis traheris. Si me audis,
paternè te moneo et oro, contineas te intra metas tuas,
neve ad talia portenta abutere ingenio tuo: caveas
verò etiam Ecclesiae tuae vel adolescentibus, qui tecum sunt,
instillare. Quod si n. id facere compertum fuerit, graventibus
dicam à superioribus paratam cogita, qui orthodoxum con-
sensum turbare abs te non sinent. Ex Arminio audita vox
Christum esse aeternum dei filium, valde disputabile sibi vident.
Ad si etiam tibi instillavit, tibi propositum est tueri,
vide quae bonorum de te futura sint iudicia. Ad singu-
la tua respondere minime, si maxime vellem, nunc vacat
asservabo verò, donec aliquando editio altera reperienda
erit. Interim libenter supprimam, quae tua ad me, ne
ex me tibi periculum, à quo diligere plurimum: sed ita
ut et tu supprimas et singas, ne id solum pulchrum putes,
quod argutum et à fide simplici alienum est. Quod ut prius
facias, iterum te per tuam salutem oro. En theses nostras
de sanctificatione, quam tu cum Jesuitis justificatione
priorem esse contendis contra scripturas et catechesin no-
stram. Benevale. raptim Heidelberg 22. Junij 1608.